



499 11 DM  
DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
POENITENTIA  
IN CONTRACTIBUS  
INNOMINATIS

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO IUVENTUTIS PRINCIPIS  
FRIDERICO WILHELMO,  
ELECTORIS BRANDENB. ET ELECTORATUS HEREDE,  
ac reliquis

*Consentiente illustri Cloruro Ordine*  
IN FRIDERICIANA HALLENSI  
PRAESIDE  
CHRISTOPHORO CELLARIO,  
ac Verusque Licent.

IOANNES ...

---


D. XXV ...

---

Typis CHRISTOPH. ... ACADEMIAE, Acad. Typogr.









45. 1699 13.  
ARCHIATRO COELESTI  
AVSPICE ET DVCE  
DISPV TATIO SOLENNIS MEDICO-PRACTICA  
TRADENS

HISTORIAM VA-  
RIOLARVM EPIDEMI-  
CE HALAE GRASSANTIVM. 2

Quam,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DN. FRIDERICO WILHELMO,  
ELECTORAT. BRANDENB. HAEREDE

&c. &c. &c.

IN ILLVSTRI FRIDERICIANA  
GRATIOSO FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV  
P R A E S I D E

*VIRO Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo*

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,  
Medicinæ Doct. ejusdemq; ac Philosoph. Natural. P.P.

Medico Electorali Aulico,

DN. MAECENATE, PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO  
OMNI PIETATIS CVLTV DEVENERANDO.

*PRO LICENTIA*

Summos in ARTE MEDICA Honores, Juraque & Privilegia  
Doctoralia legitime capessendi;

*Ad d. XV. April. MDCIC horis ante 5 pomeridianis*

IN AUDITORIO MAJORI

publicæ Eruditorum censuræ submittit

M. JOHANNES HEINRICVS Sagen /  
Molhusâ Thuring.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typogr.





ILLUSTRIS LIBERAE AC IMPERIALIS REIPUBLICAE  
MOLHUSINAE  
MODERATORIBUS  
VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis,  
Consultissimis, Prudentissimis,*

**CONSULIBUS,  
SYNDICO,  
CENSORIBUS,  
SENATORIBUS,**

*Consummatisissimis, Eminentissimis, Gra-  
visissimis,*

*Dnn. Mæcenatibus ac Patronis æternum  
suspiciendis, colendis*

Specimen hoc Inaugurale

in cultus sempiterni pignus

*submissâ mente offert*

M. JOHANNES HEINRICUS Hagen





I. N. J. C.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-  
PRACTICA.

Tradens

HISTORIAM VARIOLARUM  
EPIDEMICE HALAE GRAS-  
SANTIUM.

PROOEMIUM.



**H**oc Oedam variolarum lu-  
em epidemiam sæviorem in mo-  
dum apud nos hæctenus grassa-  
tam, & adultis ac maximè præci-  
pui personis infestam describere  
aggredior. Tractationem cu-  
juscunque morbi præsertim epi-  
demii historicè & cum specialissimis phænomenis ac ge-  
nuinis circumstantiis attentâ experienciâ notatis propo-  
nere, præclarum & scopo medico utilissimum semper  
credidi institutum. Vulgaris aut minimè laudandus  
plurimorum scriptorum mos est, quod dum certi affe-  
ctus naturam evolvere suscipiunt, rarò sufficientem ejus  
persequantur historiam, sed potius quæ facti, quæ ex-  
perientiæ & observationis sunt, quæque maximi mo-  
menti ad morbi ingenium noscendum, & consequenter  
ad rectam medendi regulam formandam, crasso invol-  
vant silentio. Optandum esset ex animo, ut omnes,  
A 2 qui



qui aliquid laude digni præstare vellent, exemplo doctissimi *Sydenhamii* verè, practicè & historicè de affectibus morbofis scriberent, neque speculationibus sæpius frivolis & rationibus primis tam scrupulosè immorentur; ita enim profectò firmiori fulcro innixa esset praxis nostra medica in compluribus etiam vulgaribus morbis, quoad exactam phænomenorum historicam cognitionem valdè adhuc sterilis & manca. Quomodo enim rationalis medendi via enasci potest, nisi solidam morbi theoriam perspectam & exploratam habeamus? Quomodo autem hæc acquiri potest, nisi præcesserit sufficiens notitia morborum quoad omnia symptomata, phænomena observata ratione individuorum diversissima. Etenim historia morbi verum & unicum solidioris & rationalis theoriæ & praxeos fundamentum est. Quocirca cum mihi specimen doctrinæ quoddam exhibendum fuerit, apud animum decrevi, variolarum morbi, qui magno, septem fermè mensium, intervallo apud nos sæviter hætenus grassatus est, historiam tradere, quæque à nobis visa, notata, & pariter ab *Excell. Domino Preside* aliisque hujus urbis celebribus Practicis observata & nobiscum communicata, dextrè, breviter tamen recensere, nullus dubitans, Divinum Numen instituto huic ex alto benedicturum esse, ut non minima utilitas in rem nostram medicam nec non in salutem mortalium inde ducatur ac derivetur.

CAPUT I.

VARIOLARUM CAUSAS ET  
ORTUM IN GENERE TRADIT.

**Q**Uò eò melius indolem atque naturam nostri morbi exponere & phænomenorum genuinas causas redde-



dere queam, brevi labore ante tradere placet, quæ mihi videntur circa variolarum in genere naturam, causas ac ortum verosimilia. Conveniunt fermè in eo medicorum peritiores, secerni quodam febrili critico motu à sangvine in hoc morbo materiam causticam inflammatoriam. Evincunt id inter alia hujus effectus, qui non nisi à sale stimulante, exedente ac fibras & stamina corporis dilacerante arcescendi sunt. Ita notum ac manifestum est, primis morbi diebus subinde ægros invadere, pruritus corporis, oculorū rubores, illacrymationes, sternutationes, tussēs, punctiones corporis nec non excretiones præter naturam varias, enormes vomitiones, crebras diarrhæas, insignē salivationem, continuum ad miCTIONEM stimulum ipsos ægros continuo atq; molestissimè afficere.

Patefaciunt insuper hujus principii corrosivam indolem anxietates istæ cardialgicæ, tremores, horripilationes, intensi quandoque artuum dolores, insultus convulsivi, epileptici, præternaturales sangvinis effusiones, quæ non nisi à spasmodica fibrarum motricium & nervearum contractione & crispatura, quam congestio sangvinis varias in partes subsequitur, deduci possunt. Maximè autem omnium natura pustularum & ulcusculorum cum perpetuo pruritu, ardore, dolore & fibrarum cutanearum dilaceratione juncta, corrosivitatem salis variolosi patefacit. Quinimò constat experientiâ, quandoq; declinante jam morbo sub variolarum exiccatione & crustarum elevatione serpentina mali moris pronasci ulcera, quæ subjectas partes sæviter depascunt, imò contracturam, ulcera fistulosa, osiumque cariem inducunt. Præterea principii hujus corrosivam acrem indolem patefaciunt etiam remedia in sanando hoc morbo admodum proficua, quorum virtus & efficacia in at-



temperatione talismodi corrosivi salis unice consistit, & ex adverso talia quæ perniciofa hoc morbo correptis fuerunt id ostendunt, uti sunt nimis spirituosa, calida, acria, salina, volatilia, utpote quæ motu illud ipsum exaltando ac acuendo sæviora producunt symptomata. Verum enim verò hujus morbofi principii veram definire ac determinare originẽ, res ardua & pariter multum controversa est.

Veteres plurimi ad aërem siderum vi maleficâ inquinatum hujus ortum referunt, præsertim cum morbus epidemius sit, & contagio serpat. Nonnulli ex diætæ vitio & pravo victu illud ducere ac derivare amant. At verò quis astrorum influxum aut aëris inquinamenta exanthematum causam dicere conabitur, quæ sæpius tantum paucos infestant, vel in una urbe regnant? Quis vitus rationem culpabit? cum etiam illi, qui exquisitissimam observant, non subterfugere hunc affectum possint. Plurimi, ex menstrui sanguinis reliquiis impuris causam hujus morbi stabilire conati sunt, maximè cum commune & fermè toto humano generi familiare sit malum, parcens paucissimis. Non infitemur, sicuti multa in recessibus naturæ abscondita & inenodabilia latitant, dubiis ac difficultatibus adhuc premi hanc materiam insignissimis, interim quid nobis verissimũ circa hanc rem appareat, & quæ sentiat *Exc. Dn. Præses*, breviter strictimque aperire placet. Nimirum in fœtu, qui gestatur utero, sanguinis circulatio ordinariò langvida, segnis ac tarda existit, unde etiam transpiratio est debilissima, atque excretio heterogenearum particularum per debita evacuatoria non ritè procedit. Quoniam autem succus, quò infans nutritur tempore gestationis sine impuritate esse nequit, ex plethora & cacochymia gravidis familiarissima deducenda, evenit, excrementitias partes intimè cum succis & partium solidis



darum nutrimento jungi atque uniri & sub horum involu-  
lucro diutius delitescere. Habemus exempla in cancro-  
fis glandularum tumoribus, ubi sal acre corrosivum, vi-  
scositati stagnanti nuptum, per magnum temporis inter-  
vallum delitescit sine ulla noxa, quod tandem accessu  
congruæ humiditatis è vinculis suis laxatum & solutum,  
præsertim libero accedente aëre, immani corruptione ac  
necrosi vicinas exedit & consumit partes, ac universalem,  
machinæ inducit ruinam. In Gallica lue tenue & viru-  
lentum susceptum miasma sub jugo & contextu viscosi  
principii in tubulosa fibrarum vel glandularum substan-  
tia diu sine noxa hæret, donec tandem causis externis à  
jugo hoc liberetur, extricetur & in actum deducatur.  
Eadem ratione salia corrosiva copiosa in arthriticorum,  
rhevmaticorum, hypochondriacorum sangvine sub ejus  
involucro viscoso ac oleoso diu intricatâ ac irretita sine ul-  
la activitate hærent, quæ certa aëris accedente dispositio-  
ne tandem evolvuntur & in actum prodeunt, atque ma-  
nifesta sua acrimonia partes membranaceas ac nerveas  
vellicando ac rodendo dolorum ac symptomatum sævi-  
tiam producant. Impossibile enim est, salinam illam co-  
piosam acrimoniam, quæ in arthriticorum & rhevmati-  
corum corporibus tempore paroxysmi per ipsas excre-  
tiones cernitur, in instanti fuisse ingeneratam.

Ex hisce adductis consequi promptissimè existimo,  
non esse absolum, sed potius veritati & rationi admodum  
consentaneum, impuritates atq; inquinamenta in utero  
materno suscepta, diutius in adultorum corporibus abdi-  
ta, retineri posse, neque vehementissima intestinaque  
fluidorum motione ac conquassatione elici; sed tantum  
certa aëris dispositione aut miasmate ejusdem morbi, quod  
in motu existens & tenuitate sua penetrans sopitum &  
lati-



latitans, à multò retrò tempore variolarum principium optimè evolvit atq; extricat. Nihil autem magis ad dissolutionem hujusmodi virulenti principii facit, quam tenue penetrans humidum, quod tempestas continua tepida & humida, & autumnalis promptè suggerit. Sicuti enim cataplasmatibus & emplastris emollientibus & laxantibus occultum cancri virus in actum excitari solet, ita etiam constitutione aëris humida salia in humido corporis latitantia facilè exsolvuntur & morbi salini generantur.

Equidem contra hanc sententiam moveri hoc poterit, si ex impuritate feri & sanguinis materni foedissima hæc labes propullulet, admiratione dignum esse, quare veteribus & magno *Hippocrati*, qui in describendis morbis, populariter grassantibus, tam accuratus ac sedulus fuit, dira hæc pestis non innotuerit? At verò si monumenta veterum pervolvimus, passim deprehendere licet, variarum eruptionum, efflorescentiarum & pustularum incute, quas Græci *ἐκ δύματα* designarunt, mentionem reperiri, quibus etiam infantes jam ab lactati & octennes & decennes detenti ac mortui fuerunt, qua de re legi potest *Hippocrates Lib. I. item Lib. V. epidem.* Equidem lubenter fatemur, illa veterum *ἐκ δύματα* non ejusdem naturæ cum variolis nostri temporis in omnibus fuisse, cum potius hæc illa vehementiâ longè superent, utpotè crescente luxu, ingluvie, atque intemperantiâ, quâ prisci caruerunt, corpora humana diathesin impuriorem nacta sunt, quæ etiam severiores progeneravit ægri tudines. Certè id ipsum mirabile est, morbos alios desinere, alios durare, alios de novo procreari: Nimirum quæ secundum naturam sunt & fiunt, ea quidem ordinata, finita ac magis constantia sunt, cum natura aut ordo sit, aut ordinis opus. At quod præter naturam est, id inconstans & inordinatum, hæc enim  
ubi



ubi variis de causis impeditur, immane quanta tunc & quam nova malorum semina adolescant.

Ex quibus dictis & adductis demonstratum esse arbitror, variolarum morbum, quem rarò quidam mortaliū effugit, ortum suum habere ex ipsius materni sanguinis impuritatibus, quæ successu temporis causticam induunt acrimoniam, quò diutius enim stagnant, eò pejorem indolem acquirunt, uti mortes & sævissima symptomata, quibus adultorum corpora obnoxia sunt, id testantur.

Sententia hæc fuit circa ortum variolarum antiquissima, ab ipsis Arabibus profecta & etiam nostrâ opinione verissima & optima.

CAPUT II.

VIM ET NATURAM CONTAGII IN NOSTRIS VARIOLIS PROPONIT.

**E**Volutis causis atque ortu variolarum in genere, facilius jam erit investigare ac persequi rationes & causas phænomenorum & observationum, quæ apud nos circa epidemicè & sæviter hæctenus dominantes variolas notatæ fuerunt.

Primum autem placet initia atque exordium epidemiæ morbosæ hujus constitutionis recensere. Nimirum effera hæc labes irruebat mense superioris anni septembri, & indomito contagio non tantum inficiebat infantes ac pueros, verum etiam ipsos adultos. Tanta enim fuit hujus contagii sævitia, ut ad minimum bis mille homines hoc morbo correpti fuerint, nec facile unum corpus, quod ex hoc primum non laboraverit, liberum relictum, nisi remotio fuerit contagii. Observatum autem est, hoc ipsum longè fuisse efficacius &

B

pene-



penetrantius, quod ex jam suppuratis & in saniam conver-  
fis in auras evaporabat, unde successivè infecta fuerunt  
corpora, & non tantum ipsum miasma ingressum invenit  
in vicinos homines in eadem domo habitantes, verū etiam  
transportatum in remota loca, in dispositis corporibus vim  
suam perniciousam exeruit.

Novimus exemplum, ubi non tantum ex una con-  
tignatione domus in alteram; sed ex una domo in alteram  
ipsa infectio ab abstantibus & domesticis fuerit translata,  
& quod notabile, talismodi subjectis communicata, quæ  
luem hanc in domo grassari planè ignorabant; undè nul-  
lum dubium est, effluvia virulenta non secus ac in peste  
asperæ pannorum superficiei arctius inhærere, & aliorum  
transferri posse.

Præterea & notabile sese obtulit exemplum pueri  
generosi, variolis correpti & ex iis etiam defuncti, ubi ejus  
sorores longissimo intervallo remotæ, eodem tempore  
ex variolis laborarunt, citra ullam suspicionem contagii,  
imò quod magis mirandum, alter frater in remotissima  
urbe degens, eodem temporis articulo iis fuit corre-  
ptus. Cui causæ assignanda illa in distans operatio fit, non  
conveniunt inter se Authores, magnetismus enim & sym-  
pathia hoc loco nullius momenti & fundamenti sunt. Vi-  
detur probabile, ob temperamentorum identitatem & pa-  
rilem sanguinis constitutionem ad eundem morbum dis-  
posita fuisse corpora, quem deinde tempestas humida fer-  
mentativa eodem provocavit tempore.

Præterea plures præsertim adulti, cum incipiebat  
grassari hæc lues, nullo prævio contagio in hunc morbum  
inciderunt, & hoc observatum est præcipue in intempe-  
rantia ac comotationibus deditis. Neutiquam enim  
opus est semper contagio, quod quidem magnam poten-  
tiam



tiam habet, intestina fermentativa motione materiam congenerem, ex humorum texturâ evocandi; at verò ipse & solus quandoque aër fermentativo suo calore sufficit, si sangvis dispositus est, id est humido excrementitio ad corruptionem proclivi imbutus. Novimus insuper casum, ubi ex præcedente iracundia sopitum virus suscitatum fuerit.

Plurima autem afferre possemus exempla, ubi ex solo & improvise aspectu variolosorum etiam remotorum, in quibus jam dudum exiccatae fuerint, item ex sola relatione in hac vel illa domo, quam transibant, grassari variolas, conceptâ quadam insigni abhorrescentiâ, brevi post quidâ conquesti fuerint de consuetis symptomatibus & eodem morbo graviter, imò lethaliter decubuerint. Memini, virginem generosam, cum funus personæ illustris ex fenestra aspiceret, prævia quadam abhorrescentia altero die mox incurrisse similem in morbum, mitissimum tamen. Cui causæ phænomenon hoc adscribendum, res intricata ac scrupulosa videtur. Solam enim imaginationem per se talem effectum producere posse, credibile non est; sed potius probabile, in corpore jam præparato & disposito insignem talem animi motionem inordinata spirituum commotione & humorum turbatione celerius provocare latitans seminium variolosum.

Observatum etiam est in aliquot infantibus, imò adolescentibus, cum præservationis gratiâ laxans vel leniter primam regionem expurgans ad minuendam peccantem materiam assumerunt, ipsos postea statim hoc morbo fuisse correptos, præsertim, si in eadem domo plures jam dum decumberent, forsan quod purgantium particulæ acres, fermentativæ sangvinis mixturam turbantes latitans vitium è potentia velut in actum excitare aptæ fuerint.



Quamvis autem noster affectus ordinariò sit morbus ætatis & quidem infantilis & puerilis, ipsorum temperamentis admodum congruus: nihilominus & sæviit graviter in adolescentes, juvenes in optimo flore constitutos, hi enim semper magis periclitabantur, quam impubes. Viris autem & senibus pepercit, quoniam dantur pauca exempla illorum, qui non in primis annis hunc morbum passi fuerunt. Accedit, quod illorum serum, ad intestinam corruptivam commotionem ob sulphuris defectum non adeò sit proclive.

Sexus nullam habuit differentiam, æquali enim, fermè impetu grassatus est in viros quam in fœminas, ita tamè, ut majorem vehementiam in his, quam in illis exercuerit: Neque pepercit nutricibus atque puerperis, siquidem frequentius observatum, illarum corpora lubentius fuscipere contagium etiam aliorum morborum, quoniam sero excrementitio vel humido copiosiori abundant.

Neque tantum incolas hujus urbis, verum etiam peregrinos brevi tempore huc commorantes impudicum malum adortum est, magno cum periculo: quo ipso demonstrari potest vis atque activitas hujus contagii. Neque prorsus immunes fuerunt illi, qui jam dum ex hoc morbo vero, vel etiam spurio laborarunt, uti id quibusdam exemplis clarum reddi potest.

Magis autem contagium adortum personas constitutionis sangvineæ, phlegmaticæ, pituitosæ, spongiosi & mollioris habitus corporis, utpote horum sangvis propter exuperans humidum ejusmodi morbis ab intestina motione natis, valde obnoxius existit. Optima enim ratione demonstrat Galenus *Comment. II. in Lib. I. epidem.*: Corpora promptius ab his causis pati, quæ intemperiebus ipsorum magis congeneres existunt.

Illud



Illud verò in genere notari velim, quod primò omnes ætate florentes & qui immodica vini generosi & quidem Sectingurgitatione nimium incaluerunt, item quorum succi impuritate diffluebant uti cachectici, scabiosi, intemperantiæ dediti, porrò phlegmatici vel insigniter debiles facti, viribus vel morbo diuturno vel terrore aut mœstitiâ fractis, gravissimè imò fermè omnes lethaler laboraverint. Quò major enim feri impuri corruptivi in corpore est exundantia, quo major virium languor & sulphuris laudabilis nativi & principii gelatinosi in sanguine defectus, eò periculosiora symptomata & pejores effectus materia nostra peccans per se & in se non adeo maligna profert.

CAPUT III.

NATURAM ET DIFFERENTIAM VARIOLARUM, ITEM DIVERSITATEM SYMPTOMATUM, QVAE INTER MORBI INITIA FUERUNT NOTATA, TRADIT.

**Q**uemadmodum Practicorum solertissimus Sydenhamius in operibus suis rectè & verissimè variolas distinguit in regulares & benignas, deinde in irregulares sive anomalas & mali moris: denique notabilem facit differentiam inter distinctas & paucas, & inter confluentes seu copiosas, quæ iterum ratione numeri & quantitatis vel mitioris, vel medii, vel summi gradus sunt: Ita etiam in nostris distinctionem hanc notavimus, quæq; valde necessaria est tam ratione prognoseos & facilioris vel difficilioris reconvalescentiæ, quàm ratione curæ.

In genere autem hic notandum venit, quod paucae & distinctæ omnis periculi fuerint expertes, imò citra singularem medici opem atq; auxilium suâ quasi sponte sanati



fuerint, qui ipsis laborarunt. Secundo quod copiosæ & confluentes in mitiori gradu, si benignæ & regulares fuerint & consveta tempora probè observarint, & non insvetis symptomatibus vel excretionibus stipatæ, non fuerint mortiferæ. Et tertio quod infantes, pueri, fœminæ & qui sanguineæ complexionis, habitus corporis spongiosi & mollioris, & sanguinem laudabilem benignum, ex laudabili victu & temperantia habuerunt, & in quibus, facile vulnera consolidabantur, minus periclitati fuerint.

Ex adverso annotatum fuit, quod, qui mortui fuerunt, vel ex copia, adeoq; suppurationis defectu & febris inflammatoriæ vehementia, vel ex malignitate & irregularitate symptomatū, atq; intempestiva copiosaq; humorū vel sanguinis excretionē defuncti fuerint; Ordinariò autem magis passi sunt adulti, strictioris habitus corporis phlegmatici, sexus virilis & impurum, acrem qui ex intemperantia vinosa sibi sanguinem generarunt: Ex infantibus autem, quorum intestina verminosa occupabat progenies: ex lactantibus, qui impurum lac à nutricibus pravis affectibus agitatis sugebant.

Vt autem ordine procedamus, primùm placet recensere atque enumerare illa phænomena, quæ primis ab invasione diebus, adeoq; tempore, uti veteres locuti fuerunt, ebullitionis à nobis visa & observata fuerunt, præsertim in illis personis, quæ feliciter evaserunt.

Ordinaria autem & prima symptomata fermè omnibus communia fuerunt dolor dorsi, capitis, lassitudo corporis, calor excessivus cum pulsus celeritate & frequentia, appetitus prostratio, somnus inquietus, hisce præsentibus fidenter pronunciatum fuit de variolarum præsentia. In nonnullis infantibus enormes statim cum anxie-  
ta-



tate incipiebant vomitiones sæpius per aliquot dies durantes, ubi omnia assumpta ejiciebantur, & præter ea ferum purum vel etiam bile mixtum; in adultis rarius illæ visæ sunt. Quicumque autem vomitu non tentabantur, hujus loco successerunt anxietates circa regionem præcordiorum maximæ, vel etiam in nonnullis mitiores, cum continuo vomendi conatu nauseaque. Sæpè numero etiam observatus est statim inter initia alvi largior effluxus tam in infantili, quàm in adulta ætate, qui tamen tempore eruptionis accedente, sua sponte fistebatur: In quibusdam etiam primis diebus alvus erat adstricta, ubi demum die tertio vel quarto, quando jam in cute apparere incipiebant, aliquot vicibus, citra tamen periculum soluta est alvus. Frequentius etiam vidimus hisce diebus stimulum frequentem ad matulam: In paucis quidem urinam suppressam per aliquot dies, periculi tamen expertem notavimus. In infantibus tenellis, vel adhuc lactantibus, in morbi exordio clamores insignes, pavor in somno, alvi adstrictiones vel etiam diarrhææ, ardor corporis intensus & circa finem tertii quandoque insultus leviores epileptici, præsertim ubi præfervido regimini subjecti erant, conspiciebantur.

In subjectis serosis per frequenter somnolentia quædã, five nimia in somnum propensio circa hoc tempus adfuit, item pruritus corporis ingens, nec non dolor ardens pruriginosus palpebrarum, & lacrymarum involuntarium profluvium, & frequens sternutatio. Alii conquerebantur de punctationibus in dorso, in pectore.

Enumerata hæc symptomata absque omni dubio dependent à particulis istis causticis, acribus, motione intestina singulari à reliquis cruoris elementis sequestratis, quæ postea extricatæ in lymphæ liberè vehuntur & aman-



amandantur ad varias corporis partes, pro quarum diversitate varia concitant pathemata: Quando enim accedunt ad excretoria, illa plus justo stimulant atque irritant, unde nimii vomitus, copiosæ excretiones alvi, & frequens urinæ emissio deduci debet: in partibus membranosis & musculosis dolores, spasmodicas contractiones, pruritus, concussiones corporis in somno, epilepsiam pariunt. Circa orificia ventriculi si stagnat infesta materia, anxietates, in capite hæmorrhagiam, phantasmata, sternutationem, ruborem oculorum & molestum lacrymarum stillicidium producit.

Febris autem quæ semper primis diebus ægrotos affligit, quid aliud indicat, quam irregularem atque intensiorem sanguinis per vasa & cordis musculos motionem? eum in finem, ut collectis intus viribus criticè per congruum evacuatorium cutis, quæ tenuissimas salino-acres partes convenienter educit, virus proscribatur. Ab impetuosa autem hac sanguinis motione & præsertim ejus in dorso ac capite congestione, partim dolores capitis, dorsi, vertigo, frequentissimum symptoma, partim etiam phantasiæ & deliria dependent:

Postea nec silentio transmittendum est, tam in pueris, quam etiam in adultis largiores sæpius fieri hæmorrhagias, præsertim circa diem tertium vel etiam quartum, quæ vel phantasmatum atrociam sistunt, vel adhuc illa ipsa adaugent, maximè si pauciores sint, nec sanguis sufficienter, sive ob naturæ debilitatem, sive ob intempestivum topicorum adstringentium, usum, fuerit evacuatus. In adultis ante plenariam eruptionem aliquoties vidimus furibundas actiones, insignem præcipitantiam, impatientiam, item sermones subinde instituunt de egressu è lecto, è domo, de faciendo itinere:

Hæc



Hæc omnia tamen vel spontè desinebant, facta sufficiente proruptione vel adhibito cataplasmate spirituofo dissipabantur. Profecta hæc symptomata à congestione & impedito motu sangvinis in capite fuisse, minime dubitandum, præsertim cum in sangvineis eveniebant, facie existente tumida & rubicunda, & arteriis colli valde pulsantibus, undè etiam factum, quod sufficiente sangvine excreto conquieverit delirium.

Symptomata talia comitabantur potissimum benignas, distinctas, regulares & mitioris gradus confluentes; at verò mutata res erat in irregularibus, lethalibus, copiosis, imò copiosissimis adutorum & subjectis impuritate humorum diffluentibus: Ita pessima signa fuerunt in infantibus clamores intensissimi, nulla requies, tremores, mox extremorū frigora, mox intensissimæ incalescentiæ, item statim secundo die prodeuntia exanthemata irregularia à genuinis maculis variolarum rubicundis longè differentia, quæ modò apparebant, modò iterum evanescebant, cum summâ virium defectioe.

Indicium copiosissimarum & summè periculosarum erat dolor lumborum intensissimus, qui nephriticum, imò ischiadicum mentiebatur, infensus adultis, item dolor gravis punctorius in pectore vel quodam hypochondrio, nec non præceps, statim secundo die eruptio & conspectus macularum spuriarum wie Hirsen Körner / Finnen in facie, nec non intensa anxietas circa præcordia, junctum delirium cum diarrhæa: quæ cuncta copiam & vehementiam materiæ variolarum edocebant.

Malignitatem autem immixtam, adeoq; vitæ discrimen ingens indicabant notabilis virium à primo statim morbi insultu prostratio & membrorum in motibus faciendis imbecillitas, vertigo & vigilia assidua, item ab erectiori cor-

C

po-



poris situ animi deliquium, pulsus debilis & frequens, profusio sudoris ingens, urina copiosa & statim primis diebus incipiens largissima salivatio, vel insveta per nares copiosi mucii ejectio: Quæ commemorata symptomata vinculum feri & sanguinis destructum, spirituum animalium defectum & plenariam elementorum sanguinis à se invicem secessionem, juxta veteres putredinem, indicabant.

In nonnullis subjectis ubi malignæ & copiosæ prodibant, nullus planè dolor nullaque anxietas, nulla fitis, nullus p. n. calor observabatur, sed pulsus erat naturalis, somnus verò nullus vel terroris plenus, magna autem corporis debilitas, ad animi defectionem promptitudo & vertigo molestissima, tardissimeq; & diu durans macularum eruptio notata est hæc in subjectis pituitosis, segnioribus, impuris observabantur & medicum incautum facile potuissent blandicie sua decipere: At verò tali in statu deficiunt particulae mobiles spirituosæ sanguinis, in quibus vis motrix & robur naturæ fundatur, unde deficiente motu, qui necessarium & utilissimum est instrumentum, quo natura vincere morbum & causam vitæ infensam proscribere debet, necesse est, ut peccans materia in fluoribus relicta ipsis corruptionem funestam inducat.

Pessimæ etiam notæ fuerunt statim in principio tremores, horrores, membrorum incurvationes, contracturæ, item immanes artuum dolores, qui in plurimis exitiales fuerunt: corrosivitas enim & acredo maxima, materiæ inest, quæ nervosas & tendinosas partes aggreditur sæviorem in modum. De tremoribus autem in genere notandum, illos ipsos non semper, nisi alia pessima symptomata adfuerint, exstitisse funestos, quinimò interdum ipsum delirium hisce solutum fuisse.

In juvene generoso, qui primo statim tempore ex  
ni-



nimia debilitate, pulsu debili, vertigine durante, propensione ad lypothymiam valde periclitabatur, die secundo protinus incipiebat delirium, quod etiam usque ad septimū constanter durabat, variolis interim propulsis feliciter, quō die etiam mortem afferebat. Aeger constitutionis erat tenerrimæ, & dulcibus per vitam mirificè semper delectabatur, quæ quantum ad putredinem & impuritatem succorum disponant, res clara atque perspicua est.

Circa infantes illud adhuc moneri oportet, quod primis diebus quandoque ejecerint insignem vermiculorum ascaridum numerum, citra tamen periculum, in aliis autem lethalitas secuta est, cum generatio vermium de dispositione humorum ad putredinem, & de principii balsamici sulphurei, corpus & intestina à putredine conservantis defectu testentur.

CAPUT IV.

SYMPTOMATA ILLA, QUAE  
TEMPORE ERUPTIONIS NOTATA FUERUNT, RECENSET.

**A**ccessum jam facio ad illa symptomata atque phænomena enumeranda, quæ animadvertimus ipso eruptionis tempore. Placet autem & hic loci differentiam facere inter illa ipsa, quæ benignis, & quæ funestis juncta fuerunt.

In benignis itaque & ubi servati ægri, non adeò maturè incepit eruptio, sed diem criticum, qui est dimidius septimi inter tertium & quartum, expectavit & tunc satis vegetè processit, ita ut quintō die, ubi latuerint pauciores, sextō autem, ubi copiosiores, absoluta conspiceretur.

Ante eruptionem nox plerumque gravis & inquietata extitit, anxietatibus, tremoribus, phantasiis, hæ-



morrhagiis, vel etiam in quibusdam epilepticis commotionibus stipata. Visebatur etiam hoc tempore in quibusdam adultis alvus fluida, ad duas vel tres sedes, quæ tamen mox sua sponte firmiter claudebatur.

Primum autem in conspectum veniebant in partibus extremis, nimirum in vultu mox in manibus pedibusque. Quando è facie egrediebantur, simul ipsam faucium & laryngis interiorem substantiam, ipsamque linguam, labia, & palpebras intus & extus molestè occupabant, undè conquerebantur de dolore, ardore, pruritu, tensioneque dictarum partium: Quandoquidem spongiosæ hæ partes, innumeris glandulis constantes, causticas mali particulas cum lymphâ advectas facilè retinent.

Si ipsa supercilia & palpebras copiosius obfidebant, ingens querela orta fuit de acerbo oculorum dolore, pruritu, ardore & falsedine, unde etiam die sexto plerumque, præsertim quando faciei intumescencia accedebat, firmiter claudebantur, ut omni visu destitutus jacuerit æger tamdiu, donec suppurationis tempore facies detumesceret & conglutinatio palpebrarum, à fordibus limosis facta, dissolveretur. Pustulas vel ulcuscula in ipsis oculorum tunicis neque in cornea, neque albuginea observavimus; in palpebrarum autem interiore parte illas vidimus, quæ tamen tantum superficiales, brevi tempore evanuerunt.

Partibus extremis refertis, pustulæ mox in totum corpus diffunduntur, & crura, pectus, dorsum hospites hi pravi occupant. In abdomine rarò, respectu aliarum partium, copiosæ apparent: partes extremæ omnium refertissimæ sunt, ordinariè in dorso & pectore etiam sunt pauciores.

Factâ plenariâ eruptione, circa diem ut plurimum sextum sese remittit vehementia symptomatum, pulsus, qui



qui in eruptione & ante ipsam concitatissimus erit, jam percipitur tranquillus, æqualis & secundum naturæ regulas, somnus, qui subinde quodammodo erat turbatus, jam fit placidus: anxietates omnes cessant, mentisque functiones jam liberiores & vegetiores existunt.

Quoad colorem & formam ita sese habebant benignæ: Prodibant maculæ rubræ, magnitudine differentes, quandoque satis exiles, quæ tamen successivè incrementum capiebant. Nonnunquam sub latiori forma apparebant & totam genam rubram efficiebant, ut una quasi lata macula conspiceretur, ubi tamen postea distinctæ pustulæ exurgebant.

Ordo jam postulat, ut etiam recenseam illa accidentia phænomenaque, quæ irregulares, imò funestas comitata fuerunt: ubi itaque magna copia peccantis materiæ latitaverit, protinus die secundo, vel in principio tertii variolarum primitiæ apparuerunt in facie, quæ materiâ instar pulveris limaturæ acicularum conspersa fuit. Interdum statim pustulæ aderant, vulgò *Sinnen* / vel etiam ficcæ eminentiæ, wie *Hirsen Körner* / sive maculæ albæ, *weißes Friesel* / interspersis genuinis variolosis maculis. Quando autem copiosæ expectari debent vel mali moris, crudæ, minori impetu excretio fit, & majori temporis spatio absolvitur, ita ut die septimo vel octavo adhuc recentes propullulent, quale quid materiæ contumaciam & imbecillitatem naturæ sive potius motuum vitalium significat. Pessimum autem indicium fuit, quando prævia horripilatione vel sub habitu corporis erecto, vel animi quodam affectu maculæ hæ evanuerint, enascebatur indè intensissima anxietas, corporisque debilitas.

In genere autem observatum fuit, pessimas fuisse variolas, quandò symptomatum vehementia facta jam



plenaria eruptione subinde permansit, pulsus celer, nox inquieta, pavoris plena & frequentibus horripilationibus pectus vel totum corpus affectum, item si delirium duraverit, vel in taciturnitatem obstinatam, vel in phrenesin mutatum fuerit, tunc enim mors certissime diè septimo fuit secuta. Malum etiam indicium fuit, si non perfecte rubicundæ fuerint vel lividæ, pallidæ aut brunæ apparuerint. Si longius delitescerent, **blieben stocken/wolten nicht heraus** / si depressæ semper manebant, neque in facie, quod primum fit, se quodammodo elevabant, sed duræ, aridæ, complanatæ cum foveis in medio existebant. Id tamen etiam meretur notari, quod in scabiosis, qui correpti fuerunt variolis, ipsa scabies, quando variolæ erumpebant, cessaverit, & scabiosæ pustulæ evanuerint, redierint autem, morbo variolarum penitus finito: indicio, ipsam materiam, quæ nutriebat scabiem, conversam fuisse in variolarum materiam. Ita etiam curiosa observatio fuit in puero, qui per aliquot annos ulcus in brachio gerebat valde refractarium, quod inter variolas exciccatum & consolidatum feliciter fuit.

Seri copiosa effusio, sive per sudorem, sive per urinam, in adultis per alvum, sive per salivam, primis ab invasione diebus statim incipiens, & per eruptionis & suppurationis tempus continuans, nunquam fere salutaris, sed potius funesta notata fuit; ratio autem est in procinctu, quoniam sero nimium exhausto, materia acris caustica in exanthematibus, nec debite corrigi, dilui & temperari neque suppuratio, sine qua nunquam ad votum res evenit, fieri potuit.

Mictum cruentum, qui frequens etiam malignarum & irregularium alio tempore, ipsis scriptoribus docentibus, est symptoma, nos non observavimus, neq; dysente-

te-



teriam. Sangvinem tamen manantem ex sinistro oculo, qui statim valdè intumescebat, in infante quinto die mortuo vidit *Experientissimus Vir Dn. Katschius, Practicus hujus urbis felicissimus.*

Eruptionis tempore lethales nonnullæ fuerunt, præfertim medio, quando nondum plenaria fuerit facta, excretio in dorso, pectore, cruribus. Quicumq; enim mortui fuerunt vel in ipsa eruptionis, vel demum in suppurationis actu vitâ decesserunt: Illud accidit ob naturæ deficiens robur in malignis, vel quando ipsa materia rebellis motus secretorios & excretorios, nec non circulationem sanguinis & spirituum motu suo intestino peregrino planè turbat atq; pervertit. Symptomata mortem inferentia vel delirium cum convulsione, vel sopor cum convulsione aut tetano fuit; Semper tamen præcedente notabili corporis horrore, qui fermè cuncta exanthemata, clausis poris & impedito fluidi motu ad peripheriam corporis, reddidit invisibilia, invasit verò mors die quinto, vel sexto, vel septimo potissimum.

CAP. V.

**SYMPTOMATA IPSO SUPPURATIONIS TEMPORE CONTINGENTIA, TRADIT.**

**S**uppurationis tempus in variolarum morbo periculosissimum est, maximè si ipsæ fuerint copiosissimæ, subjecta adulta & corpora impuris succis scateant, quando autem non adeò copiosæ sed paucæ sunt, ætas infantilis vel puerilis est, & cutis laxior ac mollior, & humores benigni & laudabiles, ex voto in plerisque succedere solet.

Indicium autem felicitis suppurationis sunt, si molles albæ ac rotundæ, globosæ apparent, cum circulo rubeo, si attol-

lun-



luntur & replentur sanie bona ex albo flavescente, item si facies ac manus intumescunt: in pedibus rarò visitur tumor, nisi quod nuperrimis diebus exemplum viderimus, ubi unus pes maximo afficiebatur tumore, feliciter succedente postea suppuratione. Tumor hic in vultu quandoque die sexto, quandoq; demum die septimo vel octavo incipit, & tam eximius, ut etiam oculorum palpebras claudat. In benè moratis suppuratio inceptit die sexto, & desinit die nono, vel etiam si copiosiores fuerint, ad diem undecimum & decimum septimum usque extendebatur.

Ipso in statu inflammatoriæ suppurationis ex ardore, dolore, tensione, præsertim faciei & manuum, ubi semper inflammatio & dolor intensissim9 est, enascitur de novo febricula cum pulsus celeritate & anxietate præcordiorum, quæ tamen symptomata mitiora vel vehementiora sunt, prout pustularum sive abscessulorum major vel minor copia adest, præsertim in partibus extremis. In adultis, & quorum cutis magis stricta, tensa ac dura est, symptomata hæc longè acerbiora sunt, maxime si materia peccans in profundo fuerit sita, major enim tunc distensio ac dilaceratio fibrillarum subcutanearum, & per consequens atrocior dolor & ardor contingit. Qui spongiosiori & laxiori habitu cutis præditi sunt, item infantes, scemellæ, sangvinei, sangvineo-phlegmatici, sero abundantes, mitiora hæc omnia experiuntur.

Conjungitur huic suppurationi adhuc aliud symptoma, nimirum, frequens salivæ ejectio in adultis, loco hujus autem in infantibus visa est diarrhæa, quæ revera critica, salutaris & non sistenda est, nisi ex sedibus copiosis enascatur maxima virium prostratio, & variolarum incrementum penitus impediatur; Annotavimus enim in plurimis infantibus, quod durante suppuratione tribus vel quatuor  
vi-



vicibus de die deposuerint alvum, nullo detrimento vel periculo subsequente. Quinimo excrementa cinerei coloris, etiam purulenta sine ullo discrimine excreta in nonnullis fuerunt.

Præterea hoc tempore alia, quæ prima fronte periculosa videbantur, occurrebant symptomata, quæ tamen cæteris paribus exitium non semper intulerunt. Hujusmodi autem fuerunt, inquietas, anxietas præcordiorum maxima, tremor in partibus extremis, quæ duo postrema circa noctem, & quando æger è somno evigilaverit, affligere solebant. Producta hæc sunt doloris gravioris, qui in consensum trahit totum genus nervosum violentâ concussione & spasmodicâ quadam contractione, ubi ex facili si subjecta sint imbecilliora, convulsiones mortiferæ succedere possunt.

Deniquè de aphthis five ulcusculis ardentibus, faucium regionem occupantibus, aliquid dicendum restat. Accesserunt hæc ipsa in nonnullis individuis, ubi in vigore suppuratio fuit, & intenso ardore, inflammatorio, molestoque dolore, & viscosorum humorum uberiori in os invitatione, molestissime cruciarunt ægrum, ut præsentissimo auxilio, quod in debita externorum applicatione consistebat, opus fuerit. Observatione autem constitit, illos symptoma hoc magis passos fuisse, quibus alvus ad decem vel ultra dies clausa ac constricta fuerit, quatenus, uti probabile videtur, ipsæ biliosæ particulae, quæ per alvum ordinatè excernuntur, ad sanguinis massam delatæ, huic affectui ansam præbuerunt.

De ordine, quò suppuratio procedit, perpauca etiam dicere allubescit. Non simul & semel omnes exulcerantur; impossibile enim esset, hominem tantam symptomatum vehementiam atque doloris & ardoris crudelitatem

D

fusti-



sustinere posse: sed singulari Dei providentia factum est, quod, sicuti successivè exeunt & unā partē post alteram occupant, ita & hoc ordine & successive concipiant saniem & abeant in ulcuscula. Itaque prima suppuratio fit in facie, deinde in manibus, postea in pedibus, & denique circa dorfi & pectoris regionem.

Quoniam autem plurimi, uti ante dictum est, qui moriuntur, tempore suppurationis è medio tolluntur, necesse est, ut etiam afferamus pessimæ, pravæ & exitiosæ suppurationis indicia. Consistunt autem in eo, si non sufficienter elevantur, vel sanie replentur, sed depressæ manent, vacuæ, instar corticum pisorum, si lividæ, cineræ, viridescentes apparent: Item quandò in medio ipsarum foveola quædam conspicitur nigricans. Hic tamen teneri velim, non semper universale signum id esse lethality, quando nempe quædam tantum insveto colore imbutæ sunt, vel foveolam quandam in medio habent. Scio enim exempla, tales non fuisse exitiosas, modo alia symptomata benigna & mitia concurrant. Annotavi tamen, ubi viridis vel cinereus color apparuerit, factâ exiccatione subsecutam fuisse in carne, ubi fuerunt, propter materiæ acrimoniam, insignem erosionem.

Ratio, quare vacuæ & complanatæ mali ominis sint, hæc videtur, quod ipsum acre corrosivum sal ad cutim protrusum oleoso nutritio succo attemperari & inverti nequeat, unde non tantum dolore & ardore intolerabili tyrannidem suam exercet; verum etiam successive per venarum tubulos receptum in sanguinem, ejus mixturam turbat & febrem accendit, cui delirium & convulsio subjungitur: Unde fit, quod, quò magis sunt elevatæ & sanie bona ac flava repletæ, eò meliori in statu res versetur. Defectus autem suppurationis proficiscitur vel ex penuriâ  
feri



feri ad habitū corporis protrudendi, quando vel per alvum, vel per salivam, sudorem aut urinam excessivè evacuatur, vel quodocunque à nimio frigore externo admissio, aut per usum opiatorum refrigerantium in naturis seignioribus motus sanguinis & feri ad peripheriam corporis intercipitur. Etenim retulit mihi *Excell. Dn. Praeses* aliquoties ex datis opiatis ab aliis medicis, vel ex hypocaustis nimium frigefactis suppurationem impeditam fuisse, ut variolæ noluerint incrementum capere, quod, nisi calore externo, moderato tamen, & internis sanguinis motum ad ambitum corporis promoventibus, citò compensatum fuerit, periculum ingens inde enatum.

Debitum verò colorem, & consistentiam non acquirunt, quando serum est nimis tenue vel falsum, aut salibus corrosivis impuris repletum, sicuti id evenit in scorbuticorum corporibus.

Insuper funesta vel periculi plenissima signa sunt, quando tumor visitur in facie vel manibus paucus aut planè nullus, vel etiam quando ille, qui antea adfuit, disparet, vel recedit: Quò ipsò notatur, sanguinem à sero privatum esse, vel illud ipsum in habitu corporis non legitime congeri, ibique decumbere. Testatur enim experientia, in omni dolore inflammatorio, quando tumor accedit, illum evadere mitiorem, & de sua sævitia remittere.

Si in adultis saliva non bene hoc tempore fluit, sed viscosa existit, & pectus circa diem decimum vel undecimum opprimit cum suffocationis metu, vel etiam si nimia ejus fuerit ejectio, ita ut statim primis ab insultu diebus ultra modum fiat: sicuti in illustrissima persona factum est non secus, ac si mercurius fuisset adsumptus pravum omen est: Si diarrhæa hoc tempore adultos infestat, (quod tamen rarius in nostris visum est) vel cruen-



tus vomitus, aut cruentæ dejectiones, quale exemplum unicum notatum fuit, subsequuntur, in discrimine vitæ maximo versari negotium, experientia clarum factum est.

Cæterum ante omnia attendere debemus ad inflammationem, in qua summa vitæ & mortis versatur; præsertim faciei, manuum & pedum: hæc enim quò gravior id est, majori dolore, ardore sicco, tensione, pulsu cito, inquiete atque anxietate stipata est, eo peior & funestior res existit, maximè si horror & frigus interpolentur & præcordialem regionem occupent, ita, ut de interno ardore & siti, frigore autem externo conquerantur ægri: & vice versa, quò minor est inflammatio, & benigniora symptomata, somnus blandus ac placidus junguntur, eò felicior succedit suppuratio; nam somnus egregie nutrit variolas, atque pus bonum movet ac generat, in vigilia autem exarescunt & acrimoniam majorem concipiunt. Hoc loco vero statim monendum existimo, somnum debere esse naturalem non artificialem per anodyna & soporifera inductum, illum enim semper plus damni intulisse, anxietates auxisse, experientia habui perspectum.

Solet autem hæc inflammatio ut plurimum esse causa ipsius mortis, dum primo febris incendium & subsequens delirium, vel convulsionem, quâ plurimi pereunt, parit: prodromum autem convulsionum subsequentium constituit inquietudo maxima & jactatio corporis ex una regione lecti in alteram: quam demum excipit horror notabilis, cutim & maculas dealbans, postea convulsio lethifera. Infantes etiam circa hoc tempus nimirum vel die nono, undecimo aut decimo quarto è vivis excedunt, sed alia ratione plerumque nimirum suffocatione, forsan quod arteria aspera ingenti etiam copia pustularum fuerit obfessa.

Gra-



Gravior solet autem esse inflammatio ut sæpius diximus in adultis & ubi maximus numerus & copia variolarum, ubi impuritas vel defectus seri, aut serum bonum ad alia loca & evacuatoria divertitur: Proportio enim semper inter serum corporis attemperans & inter materiam nocentem variolatam esse debet, & quo plus læsa est hæc, eo peior res est.

Insveta quædam symptomata in nostris quoque fuerunt notata, quæ alias vix occurrunt in Practicorum libris; nimirum visus fuit sanguis ex ipsis suppuratis stillans in duobus infantibus, uno trium, altero octo annorum, ille evasit, hic autem decimo sexto die mortuus est. Et quod notandum, die quinto cutis utriusq; manus & die nono crurum tingebatur colore ex atro-brunco: id quod phænomemon à sanguine subsistente ad sphacelum pronoprofectum judicamus.

Curiosum & illud fuit, quod servata bina subjecta fuerint, ubi non recta visa fuit suppuratio, loco hujus autem magna copia furunculorum ardentium occupavit corpus: item maculæ latæ, rubicundæ, ardentes surrexerunt, tale exemplum etiam non factæ suppurationis in filio, qui perpauca habuit, & evasit optimè, commemoravit nobis *Excell. Dn. Prof. Stahl.*

CAPUT VI.

**OBSERVATIONES, QUAE  
TEMPORE EXICCATIONIS NOTATAE FUERUNT, ADDUCIT.**

**S**iccari incipiunt pustulæ & crustam acquirere, si sunt factis maturæ. Maturitas hæc variat, quandoquidem in paucis & benignioribus die absolvitur nono, in copiosis primi generis die undecimo, in copiosissimis die decimo

D 3

quar-



quarto vel decimo septimo. Signum maturitatis est, si partes detumescunt, dolor & ardor imminuitur, pustulæ sanie turgent, quæ ex perforatis fatis cocta effluit, pulsus fit sedatior, somnus quietior. Exiccatio autem & maturatio tali fit ordine, quò eruptio & suppuratio fuerit facta, primùm in facie, deindè in manibus, postea in pedibus: Notandum & hic venit, in dorso & pectore molliores semper manere nec tanta copia saniei repleri pustulas, neque ibi videri tantas crustas, sicuti in partibus extremis. Calor enim major, quò foventur partes tectæ & transpiratio ibi intensior, impedit, quò minus materia subsistens tam glutinosa & arida evadere queat.

Acquirunt autem factâ corrugatione in medio fossulam, donec planè exarescant & decidant, non sine pruritu & ardore relicto. Nonnunquam etiam sub crustis istis aridis materia subjecta tanta corrosivitate imbuta est, ut cutim atque carnem substratam erodat, quod imprimis fit in facie, quæ ceu pulchritudinis sedes, postea profundis fœdisfimisque nævis dehonestatur. Multum autem negotii illæ faceffere solebant, quæ tempore suppurationis & ficcationis cineritium vel viridescentem habuerunt colorem, tales enim salia corrosiva recondunt. In quibusdam vidimus, absoluta exiccatione ortos fuisse furunculos & abscessus parvulos sparsos toto corpore cū dolore, ardore & febrili calore ob sal corrosivum in lymphæ contentum. Noti, ubi pedum ac manuum ad tempus vitia & contractura oborta fuit, quæ tamen usu balnearum & linimentorum spirituosorum maturè profligata, & quando huic vitio non protinus occurrebatur, in corpore cacochymico ulcera circa articulorum epiphyses difficilioris sanationis enascebantur, quæ incauto remediorum usu in pessimas & tabificas fistulas degenerabant.

Tumo-



Tumores quoq; glandularum imprimis jugularium in serofis ac catarrhosis insignes, duri renitentes fuerunt producti, qui vero emplastris emollientibus & discutientibus feliciter cedebant. Frequens autem malum præfertim fuit in infantibus & adolescentibus epiphora, sive continuum lacrymarum stillicidium cum dolore, rubore & lucis intolerantia: Sub ipso hoc vitio nisi præventum fuerit, turbidi reddebantur oculi & tenues tunicæ in cornea nascebantur, visum quodammodo imminuentes.

Quando nimis citò assumerent cibos, præsertim difficilioris coctionis, vel ipsam carnem nimium comederent, aut præmature è lecto surgentes refrigerati fuerint, eveniebat nonnunquam, ut anxietates, vomitum, imò etiam diarrhæam magnamq; debilitatem de novo incurrerent, extra tamen periculum. Deniq; animadvertimus, quò exiccatio materiæ in variolis latitantis celerior est, eò minus texturam cutis erodi & deformes foveas effici, & vice versa: quando tardior est exiccatio & pustulæ in unam massam compinguntur & exterius aridæ videntur, in fundo autem putridam saniem continent, informes nævos & vestigia magna produci. Ingens autem damnum sibi inferre solent, qui ante tempus scabendo & aperiendo pustulas, illarum debitam exiccationem impediunt.

CAPUT VII.

OBSERVATA CIRCA CURAM  
EXPONIT.

**A** Nimus hic est, candidè & dextrè ea proponere, quæ in tanta ægrotorum copia ex quibus maxima pars evasit, decima vix mortua, vidimus, observavimus & audi-



divimus utilia, convenientia atq; proficua, & vice versa, quæ nocentia atque perniciofa deprehensa fuerunt.

Prima autem observatio est, nullô remediô potuisse ab hoc malo servari immunes illos, qui nondum hoc experti fuerant, nisi fugâ & sollicita contagii evitatione. Equidem illud notatum fuit numerosa experienciâ, quod illi ipsi, quibus prima regio & alvus ab humorum colluvie reiteratis vicibus expurgata fuerit, non in tantam copiam variolarum & per consequens periculum incidisse: Ubi tamen observavimus, innocentia evacuantia, uti sunt rhabarbarina, mercurius dulcis, folia Sennæ, manna, tartarea, minus autem aloëtica, colocynthiaca & extracta acria, resinosa, fructum atque commodum intulisse. Optimus modus fuit ipsis utendi, paulo ante morbum, quando nondum sanguis à miasmate fuerit inquinatus; vidi-  
mus etiam ipsa non nocuisse jamdum præsentibus consuetis symptomatibus.

Animadvertimus etiam, diarrhæas, ubi ipsa natura initio motu quodam critico spontè vel per vomitum, vel per alvum ejecerit magnam humorum saburram, profuisse, imprimis si maturè temperamentum admittebant, quibus minus periculosa & paucæ succedebant variolæ ut ut non semper illud universale fuerit, quoniam & copiosissima & ob copiam funesta sequebantur. Vomitoria maturè statim exhibita inque dosi refracta & cum alexipharmacis remixta, alio tempore invenit valdè proficua  
*Exc. Dn. Præses*, quorum tamen usum in nostris, variis circumstantiis resistentibus, expertus non est. Interim si ullum remedium præservationis ergò congruum & appropriatum est, certè meâ sententia est securum vomitorium, quod educendo insignem salivalis amurcæ & biliosæ materiæ quantitatem miasmati quasi alimentum

ac



ac fomentum, hinc non potest non imminuta materiã  
paucas producere pustulas.

Examen nunc etiam meretur decantatisimum illud  
stratagema effugiendi variolarum copiam, adeoq; pe-  
riculum, primum à *Sydenhamio*, postea à *Waldschmi-  
dio*, aliisque celebribus Hasfiæ medicis tantoperè com-  
mendatum, quando temperato calore & evitato lecto nec  
non spiritib9 mineralibus acidis benè præparatis, v.g. spi-  
ritu volatili vitrioli, spiritu vitrioli vel nitri dulci, tinctura  
florum papaveris, aquilegiæ cum spiritibus istis confecta,  
illorumq; frequenti usu, ante infectionem vel etiã primis  
morbi diebus impetum sangvinis & caloris refrenando  
& variolosæ materiæ assimilationem præpediendo, pau-  
cas semper posse produci variolas gloriantur. Quamvis  
autem consilium hoc sua laude non careat, & in ætate ju-  
venili & ubi sangvis motu delinquit, æstumatisimum sit:  
attamen non universale est, cum omni etiam adhibitâ dili-  
gentiã remedium hoc non possit malignitati nidulanti in  
nonnullorum sangvine resistere, vel etiam inhibere ma-  
gnum variolarum numerum, experientia teste. Imò ob-  
servavimus, complures & illustres ante invasio-  
nem & post ipsam aliquot uncias horum remedio-  
rum assumfisse, qui nihilominus copiosas acquirebant cum  
magna symptomatum vehementia stipatas. Notavi-  
mus autem hoc singulare in illis, quod, qui tale quid sum-  
serunt, pustulas acquisiverint, quæ sub finem morbi ma-  
gnam corrosivitatem exerebant, profundius serpendo &  
depascendo subjectam carnem, insigni cum dolore, ar-  
dore & inquiete. Neque temperatum regimen atque evi-  
tatus lecti vel hypocaufti calor, & abstinentia etiam ab o-  
mnium expellentiam calidorum usu sufficientia fuerunt

E

ac



ad copiam variolarum effugiendam, sicuti patroni hujus sententiæ fidenter asserere non dubitant.

Interim non possumus non confiteri, vitæ temperantiam atque victum laudabilem naturæ cujuscunque accommodatum, abstinentiam à liquoribus spirituosus & calidis, inebriantibus, nec non ab exorbitantia affectuum, securissima & optima præservativa fuisse tempore contagioso, quibus effectum, ut pauca, benignæ periculi expectes ut plurimum exiverint in cutem, maximè quando frequens usus pulveris absorbentis, præcipitantis nitrosi & evacuatio minorativa, ut nonnulli vocant, accesserit: nitrum enim egregiè attemperando salia inflammatoria biliosa acria sanguinis, vehementiam symptomatum præscindit.

Quod attinet autem primum tempus nimirum ebullitionis, sequenti modo in curando processimus. Commendatum fuit caloris temperamentum æquabile, evitatâ, quantum possibile, nimiam lecti & hypocaufti caliditate ac stragulorum copia, unde, si vires potuerint ferre, neque vertigo vel capitis & membrorum debilitas lecti ingressum urgeret, ipsum primò tempore inhibuimus. Culcitæ ex corio confectæ longè etiam meliores, quam quæ ex plumis paratæ erant, fuerunt, propter calorem moderatiorem quem largiuntur.

Quoad medicinam, abstinuimus studiò præsertim in juvenili & florida ætate, inq; sanguineis, plethoricis ab omnibus calidis expellentibus & sic dictis alexipharmacis & bezoardicis, volatilibus, etiam ipsa bezoardica tinctura. Laudatissimum autem invenimus spiritum nitri probè dulcificatum, mixtum cum anatica proportione syrupi papaveris rhœados, additis aliquot guttulis mixturæ simplicis. Ordinavimus etiam frequentissimè pulverem  
tem-



temperantem ex matre perlarum, antimonio diaphoretico, cornu cervi sine igne, constantem, cui additum fuit pauxillum nitri. Vehiculum quo dicta remedia fuerunt assumpta, fuit aqua scordii, scabiosæ, florum tiliaë, sambuci, papaveris rhæados, cerasorum nigrorum.

Quando malignitatis præsentia ex symptomatum & circumstantiarum conditione fuit perspecta, eadem remedia in usum fuerunt adducta, modo quod theriacæ cælestis granum dimidium pulveri pro una dosi, vel etiam momentum camphoræ adjectum fuerit. Sicuti enim in omni morborum malignitate expugnanda & expellenda, non præsentius aut potenti9, ipsa experientia edocente, datur auxilium nitro cum camphora, ita etiam ejus vires in nostris, ubi malignitatis fuit suspicio, experti fuimus.

Quando ingruerat tempus eruptionis, soliti fuimus præscribere emulsionem, quæ constabat ex aquis flor. sambuci, acaciæ, fceniculi, scabiosæ, scordii, cerasor. Nigrorum, semine napi, aquilegiæ, matr. perlarum, julapo rosaceo. Corpus autem tunc plus defendere à frigore jussimus. In genere enim hic fuit observatum, calorem quodammodo hoc tempore auctiorem, minime autem molestum, noxium vel debilitantem esse debere, quam ante eruptionem, præsertim die quinto & circa noctem, & certe unum subjectum præ altero plus vel minus caloris requirit, & optimè ferre potest pro diversitate ætatis ac temperiei, copiæ vel motus sanguinis. Etenim docuit experientia, quando non sufficiens calor externe fuerit ad motus, præcipue in infantibus & phlegmaticis, eruptionem non voluisse succedere & jam protrusas collabi, lenteque refugere cæpisse, relictâ quadam anxietate præcordiorum. Consuevimus autem singulari semper cum emolumento, quando jam plenius in cutem iverint ad il-





Iud, quod reliquum est expellendum, naturam opportune tunc iuvare blando expellente, quod fuit vel essentia scordii, vel tinctura nostra bezoardica, quæ bis vel ter de die & nocte ad guttas quindecim vel viginti cum præfata mixtura fuit oblata, ita enim non tantum propulsio materiæ ad peripheriam corporis fuit promota, verum etiam in cute jam apparentes notabile incrementum hæc medicinâ acquisiverunt : in malignis autem multo magis dictarum essentiarum usus fuit appropriatus.

Equidem non mihi ignotum est, fore quosdam qui existimabunt, ab eiusmodi cardiacis numerum & copiam exanthematum horum fuisse adauctum, contra quos dicendum esse censeo, remedium hoc opportune datum, neutiquam majorem vel minorem numerum producere posse, teste experienciâ, optimâ veritatis dijudicatrice, quâ constitit, illos non plures accepisse horum expellentium usu, qui statim in principio illas sparsas habuerunt in facie, vel manibus, neque copiosiores fuisse secutas, quam ex prima eruptione in facie quantitas harum in reliquo corpore dijudicari potuerit. Fateor tamen in sangvineis & subjectis activioribus & mobilioribus caute semper mercandum esse cum talismodi expellentibus, maxime vel ante eruptionem, vel in ejus principio.

Quod tempus concernit exulcerationis, ubi naturæ fuerint segniores & torpidiores nec sese attollere vel incrementum capere voluerint pustulæ, egregio semper cum effectu myrrha electa pura ad grana sex vel octo, cum pauxillo croci, unâ cum pulvere bezoardico oblata fuerunt, quod tamen tantum in principio fieri debet, quando enim in statu est, suppuratio inflammatoria febris, & huic juncta symptomata à myrrhatis potius hæc omnia incrementum accipiunt. Ubi verò feliciter suc-  
ces-



cescit suppuratio, nihil talium fuit usurpatum; Quando æstus & ardor intensus ipso in vigore exulcerationis urgerent, eandem emulsionem continuavimus, modò quod seminis napi loco semen papaveris albi substituerimus, & loco syrapi rosarum, syrupum papaveris. Temperata enim papaveracea acrimoniam humorum delinunt ac mitigant, & somnum blandiorem inducendo, nimiam feri, quod servandum erat, consumptionem impediunt.

Quando absoluta suppuratio circa diem nonum vel undecimum & jam incipiunt in facie & manibus ficcari, atque febris remittere, valde proficuum observavimus pulverem, qui ex lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, myrrhâ electâ & croco fuit compositus, hic enim egregiè exiccationem & consolidationem promovet vi suâ balsamicâ acrimoniam temperante. Hæc fuit tota sylloge remediorum, quibus innumeri fuerunt servati & sanitati restituti.

Cæterum per totum morbi decursum loco ordinarii potus, commendavimus decoctum à multis retrò seculis probatissimum inventum: hoc autem ingrediebantur rasura cornu cervi, radix scorzonæræ, hordeum mundum, semen fœniculi, lentes excorticatæ, ficus, dactyli. Potus hic largiter admissus sub quodam tepore *verschlagen* / egregiè acrimoniam salium involvit, temperat, & serum bonum, nutritium, dulce sangvini ingenerat. Infusa calida herbarum, veronicæ, scabiosæ, herbæ thee in nimia copia non adeò proficua tempore eruptionis & suppurationis,prehendimus, forsan quod nimio suo calore salia ultra modum evehant atque motu exaltent & serum spissius dejiciendo & dissipando debito nutrimento pustulas defraudent.



Ordo nunc postulat, ut recenseamus etiam illa auxilia, quibus opitulati fuimus symptomatibus sui huic foedissimæ junctis, itaque primo si sanguis excessive e naribus stillat, illum compescere quodammodo oportet. Magna autem hic opus est cautione, ne illud ipsum statim & in principio fiat, prohibitus enim cruor, qui magno impetu in caput erat congestus, ibi stagnans phrenitidem, vertiginem, aliaque horrenda symptomata inferre potest: quando autem ultra modum & vires naturæ, excernitur, sanguinis orgasmus deficit ac subsidet, qui propellendis nocentis materiæ particulis servire debebat. Sub ipso cruoris profluvio pedes ante omnia probe tegendi & à frigore defendendi sunt, ne coangustatis his locis impetus congestionis major fiat ad caput. Internè autem tunc juvat propinare diascordium cum nitro mixtum, quod remedium sanguinis circulationem facit per totum corpus liberam & æquabilem & simul spasmus, qui plerumque fons excretionis hæmorrhagicæ est blande compescit. Externe autem quando sanguinis copia idurget, acetum rosaceum cum camphora mixtum naribus attrahatur, & collo atque temporibus tepide applicetur.

Quando delirium in puncto eruptionis nimis atrox existit neque emissis jam in cutem variolis cessat, utique & illud sistere, ne in phrenesin mutetur, necessitas imponit. Expertissimæ autem tunc virtutis est spiritus vini camphoratus cum oleo ligni rhodii mixtus, qui & naribus intus hauriatur, & tepide repetitis vicibus fronti & temporibus admoveatur. Dicitur vix potest, quam præsentaneæ & feliciter penetrans hoc remedium dissipet, atque dispellat malum periculum minitans: neque à vulgi clamoribus hic absterreamur qui in manifestum mortis

tis



tis discrimen à cataplasmatum usu adduci ægros nostro in affectu sibi perſvadet. Etenim magna est differentia inter cataplasmata repellentia & motum materiæ ad extra impediencia, & inter illa, quæ poros aperiunt & illam ipsam magis evocant.

Adversus anxietates præcordiales tremores, inquietudines, pavores in somno, convulsiones, horrores, & variolarum retrocessionem expertissimum sequens commendatum sibi quisque habeat: recipe essentiæ castorei paululum inspissatæ drachmam unam, camphoræ grana tria, extracti croci granum unum. Dosis pro diversitate ætatis differt, nec tamen facilè ultra viginti quatuor guttas extendi debet. Ab hujus usu ægri, qui cum dictis colluctati symptomatibus, præsentissimum allevamentum perceperunt.

Faucium, laryngis atque œsophagi regio, quas partes atrociter occupare solet propter variolas ibi residentes, dolor & ardor, leniri & ulterius defendi optime potest decocto florum sambuci, radicis glyzyrrhicæ, ficuum, vel etiam solo lacte calido cum ficibus & croco cocto. Si anginosa subest inflammatio, aqua florum sambuci cum roob diamoron, nitro & croco præstantissima est. Aphthas inungi curavimus mucilage seminis cydoniorum. Eadem mucilago cum aqua florum sambuci & rosarum extracta adjecto momento croci & camphoræ mirificè profuit oculis illinendis ad pruritum, rubedinem, ardorem prohibendum, ipsosque clausos aperiendos. Ad defendenda labia, ubi variolæ propter sensibilitatem & subtiliorem substantiam magnum dolorem excitant, utile fuit, eandem aquam mucilaginosam labiis inungere.

Diharrhæas sistere res periculi plena est, quando autem excretio nimia est, viriumque defectus id urget, pul-  
vere



vere bezoardico cum theriaca cælesti mixto, illud ipsum præstandum. Non possum autem non hic mentionem injicere: nitrum depuratum ad aliquot grana exhibitum, in compescenda diarrhæa, felicissimum promittere effectum, contra vulgarem sententiam, quod multiplici experientia habeo compertum.

Quod si nares intus obductæ vel obturatæ fuerint, necesse erit illa removere, quæ obstructionis causam suppeditant, unde oleo amygdalarum dulcium vel seminis lini inungi possunt.

Internè ab opiatibus & soporiferis abstinendum esse, firmiter affirmo quoniam anxietates semper majores, si copiosæ variolæ fuerint, exinde oriuntur, vel quando ante exquisitum suppurationis tempus data fuerint soporem periculosum cum tremore & concussione insigni membrorum pariunt. Interea non excludimus papaveracea lenissima, qualia sunt semen papaveris in emulsione datum, aqua papaveris rhæados & ejus laudatissimus syrupus, quæ potius materiam mitigando & inviscando, quam poros nervorum replendo, operantur.

Quando crustæ facefferunt multum negotii cum illarum exiccatio & consolidatio non decenter sequebatur, recondita subtus corrodeute materia, utilissimè usurpavimus linimentum, quod compositum erat ex tinctura tartari, essentia myrrhæ, oleo amygdalarum dulcium & camphora, quò illitæ frequentius sunt crustæ, unde ad optatam consolidationem adducebantur partes exesæ.

Ad præcavenda vestigia, decisis jam crustis, proficuum observavi unguentum, quod compositum erat ex axungia humana, spermate ceti, saccharo saturni, magisterio bismuthi, oleo tartari per deliquium.

Quando ulcera fuerint relicta unguentum de cerussa camphoratum utilissimum erit.

Circa venæsectionem paucis saltem monendum restat, illam neque ad præservationem, neque ad curationem satis utilem atque proficuum observatam fuisse.

Quod tandem rerum non naturalium usum attinet, comendavimus semper regimen aëris temperate calidum, victum excarnem vel saltem juscula avenacea, potum tepidum, mentem tranquillam & ab omni iracundia ac terrore immunem.

Quibus variolarum hic loci grassantium historix finem imponere placet.

DEO autem T. O. M. pro exantlatis feliciter studiorum academicorum laboribus immortales gratias persolvimus.

F I N I S.



ULB Halle  
003 611 06X

3



*sb.*











Farbkarte #13

B.I.G.

1699 13.  
RO COELESTI  
E ET DVCE  
NIS MEDICO-PRACTICA  
ADENS

LIAM VA-  
M EPIDEMI-  
GRASSANTIVM.

uam,  
NIFICENTISSIMO,  
RINCIPE AC DOMINO  
O WILHELMO,  
ANDENB. HAEREDE  
&c. &c.  
FRIDERICIANA  
SIS MEDICAE CONSENSV  
ESIDE

ntissimo atque Experientissimo  
O HOFFMANNNO,  
; ac Philosoph. Natural. P.P.  
ectorali Aulico,  
PTORE AC PROMOTORE SVO  
VLTV DEVENERANDO.

ICENTIA  
A Honores, Juraque & Privilegia  
itimè capessendi;

C horis ante & pomeridianis  
ORIO MAJORI  
m censuræ submittit

HEINRICVS Hagen /  
Thuring.

eris CHR. HENCKELII, Acad. Typogr.